Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36493
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cis illam caliginem noctis, non oportunum sed incentivum est peccati. Cum somno
et cibo fervent corpora, tunc etiam mentis vigor sopore lapsatur, somno
resolutus, tunc irrepit impura libido concubitus, tunc perturbatur cor, squa
lor impudicitiae non videtur, pudicitiae gloria non recensetur. Nox erat quan
do iudas perdidit, quando petrus negavit. Illo ergo praecipue tempo
re iustificationes dei animo retexendae sunt, relegenda mandata hor
tatoria. Illa de castitate praecepta non absint, ut his occupata mens
flagrantiam libidinis, carnis restringat ardorem. Tene illud animo.
Lavabo per singulas noctes lectum meum. Quis enim stupris dedit? flagitiis
involutus? Lavat per singulas noctes lectum suum. Nescit flere quae flen
da committit, et cum sit ipse lacrimabilis non habet penes lacrimas suas.
At ille qui castigat corpus suum, et sui sollicitus gubernator est, atque in
gemiscens et dolens lapsus superiori offensam, quaerit quomodo ablu
at fletibus paenitentiae, hic lavat per singulas noctes lectum suum. Non
dormiamus ergo totis noctibus, sed in maxima parte earum lectioni et
orationibus deputemus. Audi ecclesiae vocem, quaerentis etiam in noctibus
christum. In cubili inquit meo in noctibus quaesivi, quem dilexit anima mea.
Accipe secundum litteram, quia quaesivit in noctibus orando, deprecan
do, etiam lacrimis deplorando. Quaesivit in noctibus quia posuit tene
bras latibulum suum, ut quaerere eum sollicitius disceremus. Quaesivit ergo
in prophetis ecclesia ex gentibus congregata, et non credidit. Denique adventus
eius testimonia de prophetis evangelistae paulusque posuerunt. Unde scrip
tum est: quia nocti nox indicat scientiam. Quaesivit in noctibus in persecu
tionibus et adversis, in tribulationibus et laboribus duris. Nox est omni
bus quibus non est perfecta karitas. Unde ait dominus: Veniet nox, quando
nemo poterit operari. Cum in hoc mundo sum, lux huius mundi sum. Non
ergo operemur in tenebris. Si enim lucent opera nostra, non operamur in tene
bris sed in lumine. Dies est quibus adest christus, nox est quibus se denegat.
Non magnum ergo si tu domino gratias agas quando in prosperis et in secundis es,
sed si te adversa x quando te persecutor exagitat, quando aliqua procella per
turbat. Amisisti filium, in illo dolore, in illa nocte, in illa destitu
tione, memento domini dei tui, ne quasi non exauditus ingratus sis, et in tua
praevaricationis erumna. Pulsus es in exilium, memento domini dei tui, ne
patriae interdictae vel caritatem domino praeferas. Alicuius divitis oppressus pote
ntia amisisti proprias facultates, indiges sumptu, memento domini dei
tui, ne nox te egestatis abducat a devotionis affectu. hoc est enim